



1. Calovius, Abraham, Decanus Collegii Theologici: orationi  
 padege Pauli Hafmanni... invitad. 1663.  
 1. Kirchmüller, Christian: De Theodotico. 1663.
2. Klengelius, Christian: De dominio. 1663.
3. Klengelius, Christian: Sceletus chronologicus  
 seu methodica compilatio Temporum, quae in  
 Jure Canonico, Civili, Fundali et Saxonico occur-  
 runt. 1663.
4. Klengel, Christian: De contractibus consensuali-  
 bus. 1663.
5. Klengel, Christian: De consulis Romanorum.  
 1663.
6. Lederer, Michael Friedr: De possessione. 1663.
7. Lederer, Michael Friedr: Jus bestiale. 1663.
8. Lederer, Michael Friedr.: De jure bestiali Vom Recht  
 der Wilden Thiere. 1663. 1725.
9. Lederer, Michael Friedr: De justitia belliprovata.  
 1663.
10. Lederer, Michael Friedr: De subordinatione defen-  
 sionum imperfectae aetatis. 1663. 2. Aufl.
10. Lyser, Wilhelm: De rebus communibus. 1663.



1196

12. Leides, Wilhelm: De apanagio. 1663. 2 ~~partes~~.
12. Leides, Wilhelm: De lenterationibus. 1663.
13. Leides, Wilhelm: De seruis. 1663.
14. Martini, <sup>Werner</sup> Wilhelm Theodor: De sanctitate  
et iustitia legum Romanarum. 1663.
15. Martini, <sup>Werner</sup> Wilhelm Theodor: De jure, quod ratio  
ne feudum dicitur et verumque competit. 1663. <sup>lib. 1. fo.</sup>  
16. Martini, <sup>Werner</sup> Wilhelm Theodor: De feudis absumptione <sup>quodque</sup>  
16. Martini, <sup>Werner</sup> Wilhelm Theodor: De feudis amissionibus <sup>absolutis reservatione</sup>  
et amissionis evolutione. 1663.
17. Martini, <sup>Werner</sup> Wilhelm Theodor: De personis, quae  
feudum dare vel accipere possunt. 1663.
18. Martini, <sup>Werner</sup> Wilhelm Theodor: De rebus, quae in feudum dari possunt. 1663.
19. Martini, <sup>Werner</sup> Wilhelm Theodor: De successione  
19. Martini, <sup>Werner</sup> Wilhelm Theodor: De successione  
praesumptiva collateralium et praescrip-  
tione feudum. 1663.
20. Martini, <sup>Werner</sup> Wilhelm Theodor: De actionibus ab feudum  
competentibus, et iudicio feudali. 1663.
21. Martini, <sup>Werner</sup> Wilhelm Theodor: De autoritate iuris  
feudalis feudorum, origine et defensione. 1663.



- 22 25. Martini, Werner Theodri : De jure Saxonum veteris et  
modernis in genere. 1663.
- 23 24. Martini, Werner Theodri : De variis feudi divisi-  
onibus. 1663.
- 24 25. Martini, Werner Theodri : De successione in feudo  
descendentium. 1663.
- 25 26. Martini, Werner Theodri : De investitura feudi. 1663 -  
27. 1663.
- 26 27. Neger, Franchim : De jure debitoris, ne egeat. 1663.
27. Wachtler, Jacob : De jure creando doctores. 1663.
28. Ziegler, Karper : De Competente delinquentium  
Judica et foro. 1663.
- 29 30. Ziegler, Karper : De mohatra contractu. 1663.
30. Ziegler, Karper : De juribus majestatis, quae  
est de jure conferendi dignitates, tum Ecclesi-  
asticas, tum Civiles. 1663.
31. Ziegler, Karper : De singulari serenissimi electo-  
ris Saxoniae immunitate. 1663. 2. Aufl. 1663  
et 1679.



*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*





59,

XXXIII  
1023

1663 M.

8  
13

Q. D. B. V.  
De

# JUSTITIA BELLII PRIVATI

DISPUTATIO PRIMA.

Quam  
CONSENSU MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS  
PRÆSIDE

MICHAELE FRIDERICO LEDERERO


U. J. L.

Publicè defendet

CHRISTIANUS HARTMANNUS LEDERERUS

Wittebergâ Saxo.

In Auditoriò Jctorum.



WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII

ANNO M. DC. LXIII.

*Handwritten signature and text in cursive script, likely a library or collection mark.*





1551

JUSTITIA BELLI

MICHAEL ERIDICUS

CHRISTIANUS

*Handwritten signature and date*  
1551

4







I. N. J.

De

# JUSTITIA BELLI PRIVATI.

## DISPUTATIO PRIMA.

I.



Onditum ad imaginem Dei nobilissimum creaturarum hominem sacris edocto literis constat abunde. Satanæ autem astutia primos parentes in concreatâ felicitate haud perstitisse deploranda generis humani testatur depravatio. Restat interim post lapsum in homine naturale quoddam lumen, collustrans hodieque mentes humanas. Sunt insculpta cordi humano certa principia, & rectum de honesto ac turpi ex illis depromptum iudicium. Rectæ rationis nomine id designare amarunt hæcenus Philosophi. Passa ea tristi Protoplastorum lapsu iacturam; sed divino nondum ablata penitus beneficio. Impressa potius per eam mentis divinæ hominibus imago ostendit, qui actus præcepti à Deo aut vetiti. Dicitur ea, quid conveniens aut disconveniens menti ac voluntati divinæ. Licet hæc in decalago clarius patefacta: Præcipiens actum moralem necessarium ac honestum, vetans turpem. Solum tamen ac simplex rationis dictamen vix gauderet jubendi aut obligandi potestate, nisi Dei ut superioris eò, qui jubetur, simul accessisset auctoritas. Implantatum ideò hominibus à Deo mediante illo rectæ rationis dictamine jus universale, ex æquò omnes concernens. Secundum id tanquam normam actus humani regulandi instituendique. Appellatum illud à naturâ sive naturante, sive naturatâ, vulgò naturale. Cognoscunt homines

A 2

illi



illi obtemperaturi sine ullo discursu aut mentis disputatione, quid honestum aut inhonestum. Exhaustit illud jus actuum moralium necessitatem, si homines in statu naturæ considerentur, nec ullum factum ab illis perpetratum. Sed civilibus constitutis societatibus illi sibi sigillatim adeò sufficientes non erant, quin ob melius esse, & moralem quandoque necessitatem mutuo aliquo iuvamine & communicatione indigerent. Necessarium inde jus quoddam: quò in hoc societatis genere homines dirigerentur ac ordinarentur ritè. Svasit hujus juris sanctionem ratio naturalis; at non simplex illa, quæ juris naturalis directioni quoad creaturas racionales præbet medium: sed mixta usu & necessitatibus humanis. Ea quippe homines non sigillatim, sed quatenus in societates & Respubl. coivère, consideratos respicit. Neque tam præcipiendo, quàm suadendo hoc necessarium aut præ alio utilius esse communitatibus humanis procedit. Sed nec hæc in hâc vel illâ gente vim produxisset obligativam vel ad observantiam vel ad pœnam tendentem: nisi tacitus gentium accessisset consensus; nomine sic rei conveniente. Neque enim inculpra mentibus humanis Gentium lex. Nec imperata ab aliquo in Gentes Majestatem habente, cujus solius jussu vim obligandi etiam invito haberet. In tacito potius Gentium consensu ortus juris gentium & vis obligativa ex eò promanans quaritanda. Ut enim Deus juris naturalis lator, Ita hoc jus gentes agnoscit authores. Unde ex earum receptione sensim obligandi accepit necessitatem. Sed eò ipso non nego, ex principiis juris naturalis per modum conclusionis jus Gentium deduci posse: quò sine fundamentum ipsius in ratione naturali posui superius. Neque ramen omnium Gentium consensum requisiverim præcisè, ne aliàs multa, quæ juris gentium sunt, desinerent talia esse. Grotianæ calculum addiderim sententiæ: Jus gentium omnium aut multarum voluntate obligandi vim accepisse. *Multarum, inquit Grotius de J.B. & P. lib. I. c. I. n. 14. addidi, quia vix ullum jus reperitur extra jus naturale, quod ipsum quoque gentium dici solet, omnibus gentibus commune.*

II. Nolim igitur attendere ventosam accuratiorum quorundam subtilitatem, quâ universalem gentium requirunt consens-



1025

fenſum. Nec vanæ eorum ſubſcribere auſim opinioni, qui fundamētum obligationis juris gentium ex ipſo Rerumpubl. contextu & ſocietatis ſanctimonia petunt. Ne fingi quidem poterit jus ſuo deſtitutum latore. Neq; meretur nomen juris nullā quod producit obligationē ad pœnā vel obſervantiā alternativā. Aſt obligatio omnis ſuperioris ſupponit præceptum vel prohibitionem. Sufſinent quoad hujus juris exiſtentiam Gentes conditoris vicem. Nec tamen, ac ſi convenerint Gentes de jure ſanciendo deliberaturæ, id captandum. Ductu potius rectæ rationis quod ab unā alterave obſervatum gente, non ut factum, ſed juris inducendi reliquæ receperunt intentione. Aſt receptio illa in omnibus, quæ juri Gentium ſuam debent originem, ad omnes univerſaliter non tranſiit gentes. Quicquid ſit, ea inde non deſitura originaliter illius juris. Conceſſerim, ſanctitatem Imperantium & Rerumpubl. contextum exegiffe illam juris gentium ſanctionem; nec ſervari eam ſecus potuiſſe illibatam. Ipſius autem juris & obligationis inde deſcendentis inductio conditorem quendam & latorem ſupponit neceſſariò. Neque verò alium, quàm gentes ſi non omnes, pleraſque tamen & moratiores intelligent ſaniores. Sed ulterior hujus negotii decifio ipſi reſervanda diſcurſus examini. Impraſentiarum jus Gentium non conſtitutivè, ſed effectualiter ponderandum. Non aliā certè intentione, quàm ut commodiorem propoſitæ noſtræ materiæ intellectu ſtruxerim viam. Occaſione hujus ad partes prius trahenda inducta pleniori modo dominiorum diſtinctio. Omnium rerum communio primis mundi incunabulis an viguerit, præciſè noſtrum non facimus. Ex-juris naturalis fundamentis hujus negotii decifio haud deſideranda. Objectum illius juris neceſſarium eſt honeſtum & turpe. In illo procedit jubendo; in hōc vetandō. Præcipi autem rerum communionem aut prohiberi à jure naturali nemo largietur. Juris divini paginae magis deſiderio ſatisfacere videntur. Vocanda huc immenſa Dei liberalitas, cujus formula ex ſacris petenda literis, quā Adamo ejuſque poſteris vi multiplicationis adjectæ jus in res hujus inferioris naturæ largitus. Nec Ethnicos id latuiſſe penitus Philoſophus teſtis eſt, naturā homini jus in omnia corporea competere propter ipſum ut præſtantiorem aſſerens. At verò fruſtra & ſi-





ne effectu eam potestatem generi humano tributam diu im-  
pium. Exercitium juris istius singularis in particulari sigillatim  
rerum appropriatione erat positum. Sedabilitas istius exerci-  
tium intricatam peperit difficultatem. Discernendus heic esset sta-  
tus integer à statu hominis corrupto. Nec incrementum minus  
& amplitudo generis humani hic prænotanda. Verum cum  
Jctus nobilissimus Dn. Wilhelmus Leiferus in disp. de proprie-  
tate rerum eam rem accuratissimè sit prosecutus, eò remitten-  
dus Lector benevolus. Illud interim ut certum supposuerim,  
pleniorem dominiorum distinctionem juri Gentium adscriben-  
dam. Et ita Hermogeniani intellectam velim sententiam in l. 5.  
de J. & J.

III. At verò profluxerunt ex illa dominiorum distinctio-  
ne & alia jura ad societatum civilium conservationem pertinen-  
tia. Certa præcipuè bellorum forma dominiorum distinctorum  
occasione gentium jure introducta, quam peculiare ex eodem  
jure sequuntur effectus. Eidem juri maximè necessaria belli divi-  
sio in publicum & privatum suam debet originem. Publicum  
non nisi publicâ summæ potestatis ab utraque parte geritur au-  
thoritate. Concedo, accidere posse, ut in imperio latè patente  
inferiores potestates bellum inchoandi concessam habeant po-  
testatem. At & eò casu bellum ex vi summæ potestatis geri nul-  
lus dubitaverim. Jus enim aliquid faciendi alii si concesserim, e-  
jus ipsemet auctor censeor. Totam igitur Rempubl. cum belli  
concernat periculum, meritò illi soli, qui τὸ νόμιον habet in eâ,  
jus belli indicendi tribuendum. Cessantibus enim judiciis, in  
quibus decidendum aliàs negotium, ad arma demum devenien-  
dum. Sed superiorem qui recognoscunt potestatem, jus suum in  
eius judicio prosequi possunt. Et vix quæta & à turbis civilibus  
libera exstitura Respubl. in qua & inferiores jus belligerandi ad  
se traxerunt Magistratus. Ob exiguam enim & minimam cau-  
sam gravissima sæpè suborirentur bella. Hinc omnium ferè po-  
pulorum legibus cautum esse, nè bellum geri possit, nisi auctore  
eò, qui summam in civitate potestatem habeat testatur *Grotius*  
*de J. B. & P. lib. 1. c. 3. n. 4.* Augustini hic ad partes vocanda au-  
thoritas in c. 4. XXIII. q. 1. *Ordo ille naturalis, inquit, mortalium*  
paci



*paci accommodatus hoc pascit, ut suscipiendi belli auctoritas atq; consilium apud Principes sit.* De jure certè Romano Majestatis reus perhibetur, qui injussu Principis bellum gesserit, delectumve habuerit, exercitum comparaverit *l. 3. ꝯ ad L. Jul. Majest.* Et bellum ab ipso populo Romano non indictum latrocinium & depraedatio reputatur in *l. 24. ꝯ de capt. & postl. rev. l. 118. ꝯ de V. S.* Sed aliarum Gentium instituta hinc præterire placet. Præcipuè, quod mihi impræsentiarum cum bello publico nihil negotii. Privati justitia ulteriori hæc ponderanda examine. Ut publicum auctoritate potestatis civilis instituitur, Ita privatum à privatis suscipitur. Et hoc interdictum regulariter omnium jurium dispositione. Observandum monitum Jcti Pauli in *l. 176. ꝯ de R. J.* *Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publicè possit fieri: nè occasio sit majoris tumultus faciendi.* Homini bus præcipuè nimium sui amore adductis manu id exequi solitis, quod juris ipsis videtur, non est. Hinc tranquillitati societatis civilis conducibilis longè judicandum, rixam subortam ab illo componi, cujus nihil interest. Sed commodè dicta explicaverim, si copia judicii haberi queat: quò casu neminem sine judicio suum consequi posse asserendum.

IV. Quocirca ingentis peccati fœditate se commaculat homo privatâ dimicatione vindictâ petiturus. Sacrilegæ impietatis reus is dicendus meritò. Divinum quippe transgreditur mandatum potervè, quò vetitum à Salvatore, nè proximo irascamur. Demandata potius nobis & inimicorum nostrorum dilectio. Imò ipsam Dei imaginem, ad quam creatus homo, violare cupit, mortem vicini sui aut vulnerationem intendens. Sed & inexcusabilis audacia istiusmodi homines occupâsse videtur. Sine ulla enim necessitate & corpus & animam in discrimen conjiciunt nefariè. Corporis ac vitæ suæ adeò prodigi existentes ut eam ancipiti exponere non dubitent eventui. Sive enim victi fuerint, sive vicerint, in præsentissimum sese præcipitant damnum. Victi vel mutilantur fœdisimè, vel Spiritum odio & irâ plenum effundunt infelicitè. Vincentes pœnæ corporali aut certissimæ Dei ultioni se subjiciunt temerè. Neque tutos se reddunt ab æterna calamitate sacra excharistiâ prius utentes. Re-  
prehen-



prehendit eos eò nomine *Baldwinus in cas. consc. lib. 4. c. 1. cas. 12.*  
Extremæ quoque injuriæ accusandi istiusmodi *νονόμαχοι*.  
Cum sapissimè pro injuria levidenti planè de proximo interfi-  
ciendo aut vulnerando cogitent unicè. In suam non tantum, sed  
etiam alterius vitam cum rabie quadam sævientes. Nec minus  
Magistratus à Deo ordinati violant nefandè auctoritatem; sibi  
ipsi jus dicere annitentes præfractè. Idcirco enim Judiciorum  
vigor in medio constitutus, ne quisquam sibi ipsi permittere va-  
leret ultionem *l. 14. C. de Judeis & calic.* Et quos Magistratus suâ  
jurisdictione potest componere, illi ad arma & rixam non sunt  
admittendi. *l. 13. §. 3. π de usufr.* Sed quid si Magistratus istiusmodi  
*νονόμαχοι* concesserit specialiter? Haud obtemperandum esse  
putaverim. Neque enim civilis potestas ea præcipere aut per-  
mittere potest, quæ juri divino & naturali directo contraria.  
Respectu illorum jurium principis exiit & privati hominis in-  
duit personam. Quocirca subditi haud excusabiles censendi, si  
jussui Magistratus iniquo obtemperârint. Scire enim potuerunt  
& debuerunt, Deo magis quàm hominibus obœdiendum. Et li-  
cet vir aliquis equestris fortè in aulâ Principis se provocatum,  
nisi comparuerit, dignitate & favore Principis excisurum nove-  
rit certò; Neutiquam tamen aulæ in urgenda monomachia pa-  
rendum. Falsa enim aulæ persuasio ne quicquam juri divino  
præjudicare potest. Multò minus igitur audiendi, qui inani illò  
duellum excusant prætextu: Ambulare famam & vitam parâ  
passu. Perdere autem provocatum existimationem suam, si ab-  
jectò quasi animo emanerit. Neque enim comparisonem il-  
lam universalem esse inferius notabo. Et Magistratus auxilium  
implorantes illibatam servant famam. Quomodo etiam hono-  
rem suam amittere eo ipso possunt, quod contra divinum & hu-  
manum jus provocanti non obtemperârint. Directò contra-  
rium hîc evenire sciant digladiatores. Nec positam existimatio-  
nem suam in malitiosi hominis arbitrio putaverit quispiam.

V. Sed dicta hætenus iis tantum casibus procedunt, qui-  
bus copia judicii haberi potest. At verò denegatur quandoque  
Magistratus aditio, ut ejus sententiâ controversia suborta sopi-  
retur. Quo casu contingente suscipi omninò à privatis sine pec-  
cato



cato singularem dimicationem posse probabunt sequentia. Sed præcipua & famosissima belli privati primò percurrenda species. Si qua plures reperiantur casus, quibus bellum privatum institui justè possit, sequentibus subnectendi dissertationibus. Procescit indies perversitas humana eò fastigii, ut alter ex levissima etiam causa alterius morti inhiare non detrectet sapissime. Petito igitur alicujus corpore vi præsentis cum periculo vitæ non nisi cum interfectione periculum inferentis vitabili bellum privatum ab invaso suscipi justè poterit. Et quamvis aggressor trucidetur eò ipso; illum tamen occisionis actum impunem non modò, sed & injustitiâ vacantem dixerim. Ipsemet enim invasor invaso præbet licentiam congregandi, occisurus alioquin eum sine dimicatione. Cæterum formandum prius judicium. Ad integram universitatem nostra dimicandi licentia haud extendenda. Neque enim destitutus perpetuo actus resistendi injustitia. A summæ potestatis auctoritate armatis etsi injuria inferatur subditis, non resistendum ab his, sed summa tolerandum patientia. Ast ad injuriæ illatæ propulsationem naturaliter cuiusvis resistendi jus concessum esse dixerit quis. Reponendum censeo, civili potestati, cui jus quoddam majus in Nos & nostra concessum, ordinandi jus illud resistendi promiscuum juxta publicæ tranquillitatis normam competere. Secus quippe nulla societas suum adeptura finem; & jure resistendi promiscuo remanente in dissociatam degeneraret multitudinem. Nec prohibita tantum resistendi facultas privatis simpliciter sic dictis; sed etiam inferioribus Magistratibus. Etsi enim hi respectu ad inferiores habito pro publicis judicandi personis; ad summam tamen relatione habitâ potestatem de privatorum participant jure. Ita quippe omnis eorum potestas à Majestate dependet, ut quicquid contra hujus voluntatem fecerint, pro actu habendum privato. *Sed quid si Majestas præcipiat quid, quod divino & naturali repugnet juri?* Jure detrectabunt obedientiam inferiores; nec obligantur ad id faciendum quod jusfit Majestas improbè. Subiecta & ea potestati divinæ ut superiori, cui rationem aliquando regiminis redditura. Obsequendum igitur regulæ cordi humano insculptæ; *DEO magis obædiendum, quàm hominibus.*

B

bus.



bus. Quo circa de solis privatis resistendi jure utentibus negotium nobis.

VI. Invadentem igitur vi præsentem ab invaso impunè non modò, sed & justè trucidari antea dictum. Sed descendendum in fontes illius justitiæ & inde promanantis impunitatis. Non aliam quaritandam existimaverim originem, quam defensionem omni licitam jure. Neque enim omnis resistendi actus cum occisione adversarii conjunctus intelligendus. Non impunibile homicidium commissum, judicis decisione offensio facta si potuisset offenso pensari. Talis hic ponenda resistentia, talis dimicatio, quàm sine proximo mortis periculo detrectabit nullus. Et illam justam esse etsi interfectionem periculum inferentis trahat secum, asserendum omninò. Primariò enim & principaliter insultatus id intendit, ne ipsi injuria fiat, aut ut periculum præsens evitare possit. Per consequentiam verò, si alio modò vim aggressoris injusti propulsare nequeat, ob necessitatem inevitabilem defendentis intentio ad illius occisionem directa. Nullatenus quippè mors adversarii, ut quoddam primario intentum hic eligitur, quod in judiciali punitione venit usu; sed quod alia salutis eò tempore non suppetat ratio. Sed an defensor justè etiam intendat mortem aggressoris, disquirendum hic. *Grotius de J. B. et P. lib. 2. c. 1. n. 4.* ex Thomà id negotium decidit. Insultatum scilicet posse intendere ad periculi propulsationem actum necessarium, licet præviderit secururam ex eò aggressoris mortem. Sed verò interfectionem ipse tanquam medium ad sui defensionem necessarium intendere nequit. Verum subtilissimè *Magnificus Dominus Zieglerus in annot. ad Grot. d. l.* difficulter ejusmodi intentionis leges jam oppresso præscribi posse sentit. *Si enim licitum est (verba sunt citati Dn. Ziegleri) in casu necessitatis, ubi aliter evadere nequis, aggressorem interficere, licitum quoque erit, interfectionem istam intendere. Interim tamen intentio defensionis debet esse primaria, interfectionis vero planè secundaria, & non nisi cum luctà quadam.*

VII. Caterum probatio hinc suscipienda, quatenus defensio omnibus conveniens judicetur juribus. Nostræ enim dimicationis privata justitia defensionis absolvitur licentiâ. Juri naturali



rali, quatenus id in debitâ ad creaturas rationales æquè ac irra-  
 tionales latitudine consideratur, defensio illa omninò conveni-  
 ens satis. Bruta certè animantia propulsant injuriam sibi illa-  
 tam, convenientem conservationi naturæ suæ eam judicantia  
 defensionem. Hinc bovis committentibus & altero alterum  
 occidente Quinti Mutii distinctionem secuti LLatores; si is qui  
 aggressus periisset, cessaret actio, si is, qui non provocaverat,  
 competeret ea *l. 1. §. 11. π Ad L. Aquil.* Sed alibi hæc de re latius.  
 De jure naturali ad rationales restricto creaturas quæstio si fue-  
 rit mota, defensionem non propriè illius dixerim. Cum ea de-  
 mum illius juris asserantur, quæ vetantur ab eò aut præcipiun-  
 tur. Hujus essentielle attributum est immutabilitas. Sed referen-  
 dam defensionem putaverim ad actus juris naturalis permissi-  
 vos. Illa tamen permissio dupliciter à lege fit, vel plenè, quate-  
 nus ea jus dat ad aliquid omninò licitè agendum; aut minus ple-  
 nè, quatenus tantum impunitatem concedit apud homines, &  
 jus, nè quis actum eum impedire queat. Prioris generis permis-  
 sioni nostram assignaverim defensionem. Recta enim ratio, quâ  
 mediante jus naturale regit creaturas rationales, eam tantum  
 vim, quæ societati adversatur, & jus alienum tollit, inhibet. Sed  
 illa vis, quâ vis ab alio illata repellitur, minimè societatis natu-  
 ræ contraria dicenda. Non tollitur eâ jus alienum: Cujusvis na-  
 ti potius officium est, ut in naturæ statu se conservet, deligens  
 ea, quæ conservantia illius status, & pellens contraria ipsi, ac  
 quæ interitum afferre videantur. Nullus dixerit, nostram defen-  
 sionem cum naturâ rationali habere disconvenientiam. Finem  
 potius illius integram vitæ membrorumque conservationem &  
 rerum cujusvis retentionem illi quam maximè convenientem  
 existimaverim. Trahenda huc verba Cassii *in l. 1. §. 27. π de vi &  
 armat. Vim vi repellere licet, idq; jus natura comparatur: apparet au-  
 tem ex eò, arma armis repellere licere.* Assentitur huic Florentinus  
*in l. 3. π de J. & J. Jure* inquiens, *hoc evenit, ut quod quisque ob tute-  
 lam corporis sui fecerit, jure fecisse existimatur.* Nec Caji hic præ-  
 tereunda sententia, *in l. 4. pr. π ad L. Aquil. adversus periculum,*  
*asserens, naturalem rationem permittere se defendere.* Et à poste-  
 riori defensionem nostram ex communi Gentium consensu juri



naturali convenientem probare possem facile. At compendii amore unicum Tullii pro Milone locum placet assignare: *Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa prescripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent.*

VIII. Ex jure divino voluntario, ex divinâ quod ortum traxit positione, defensionis nostræ, & quod eâ nititur, belli privati justitia an comprobari possit, non caret difficultate. Concesserim facile, Deum, cui suprema in vitam bonaque hominum concessa potestas, talem excellentiorem patientiam ab his exigere potuisse, ut ipsi ab æqualibus in præsentissimum adducti periculum occidi paterentur. At, cum quæstio hæc facti, firmis à dissentientium parte probandum argumentis, Deum tam arcto patientiæ vinculô nos obstringere voluisse. Infito defensionis negativæ, nec ad probandi onus suscipiendum me fateor obstrictum. Adducenda in contrarium concepta legis interdictoria verba, quæ in sacris reperire licebit nullibi. Sed ex abundantia. Æquiparatur certè proximi amor sui ipsius dilectioni, non præfertur alicubi. Nusquam derogatum divinâ positione legitur amori, quô in seipsum quisque fertur. Commune potius si imminet & instet proximè periculum, nostram præ alienâ si promoveamus salutem, divinis non adversatur literis. Nullum sanè populum præ Hebræo dignatus unquam Deus, cui clarius voluntatem suam jura condendo patefecerit. Sed largitus ei æternus Nomotheta asylosum constitutionem. Hæc defensionis nostræ firmissimum producit argumentum. Instituta quippe asylosum cavendæ mortis gratia, & vitæ promovendæ intuitu. Nec alium nostra defensio sibi proponit scopum. Ut asylosum constitutionem imprudentia occidentis & innocentia operata; Sic necessitas nostræ defensionis suscipit patrocinium. Indignus asylosum beneficio, quem ipsum non excusaret infortunium, dignonè surriperetur supplicio. Nec de defensionis sibi gratulari habebit justitia dolosi accusatus rancoris. Neque respuendam penitus putaverim ductam à publico bello ad privatum sequelam. Sed publici belli justitia à nemine Saniorum de jure divino unquam vocata in dubium. Benedictus eô nomine Abraham, quod bello



bello pro fratri capti liberatione suscepto victoriam reportaverit. Alia, ne falcem in alienam messem mittere viderer, silentio præterire præstat. Ferenda & eadem sententia de defensionis nostræ justitia ab æquo arbitratore. De furis nocturni occisione minus subest dubii, ob ea, quæ inferius dicturus.

IX. At verò derivanda & belli privati justitia ex juris civilis Romani fontibus. Nè aliàs jus, in quò versamur vel ignorasse vel omisisse videamur. Infinita hic assignanda adessent fundamenta; sed in re apertâ brevitati studendum. Insignem juris Romani cum naturali & divino in præsentis casu convenientiam probavi superius. Sed & alia restant loca, nostram mirificè confirmantia sententiam. Testem produco Gordianum in *l. 2. C. ad L. Jul. de sicar.* Ingens ei præbet patrocinium Gallienus Imperator in *l. 4. C. d. t.* Vocans scilicet ad partes commune illud brocardicon: *melius esse aggressoribus & insidiantibus occurrere & mederi, quam injuriâ acceptâ vindictam perquirere.* Neque militibus ullus excusandi & patrocinandi reservatus prætextus. Sed impunitatem dicta demonstrant tantum non justitiam. Multa ratione pænæ non præstitutæ ob exteriorem rationem impunita censentur in jure nostro, quæ tamen justa haud reputanda. Imponi fortè & eandem opinionem de nostro proposito sibi pateretur quisquam. Ast alii textus huic desiderio satisfaciendi. Assistere jus civile naturali præsentis casu in totum ante adducta probarunt loca. Remittunt se juris civilis conditores ad omnium legum omniumque jurium permissionem *l. 45. §. pen. π ad L. Aquil.* In nullo defensorem propriæ salutis peccasse videri rescribit Gordianus in *l. 3. C. ad L. Corn. de sicar.* Proinde etsi aliàs jus civile non præcipiatur, quia justum est, sed justum sit, quia præcipitur; diversus tamen hic servatus ordo. Non impunitum tantum in foro exteriori bellum privatum; sed quæ in foro interiori obtinent, & jure Romano hoc casu probata. Nec aliud novissima Caroli V. in constit. crim. art. 145. inculcat ordinatio. Sed dubio non destituta juris Saxonici dispositio. Ab impunitate ad justitiam actus argumentum si ducendum, insignem plerique Interpretes eruerent differentiam. Adductos eos deprehendo *art. 14. lib. 2. Landrecht ad Wergeldi solutionem invasoris occisorem teneri as-*



ferentes. Sed diversum longè locum illum intendere famigeratissimus JCrorum Dn. Bened. Carpzovius prax. crim. p. 1. q. 28. n. 27. probavit accuratissimè ; Sed vel citasse tantum Virum sufficit. Nullum igitur discrimen jurium constringendum temerè. Ut omnibus juribus bellum privatum defensionis subnixum necessitate impune non modò, sed & justum reputatum; Ita nec alia de Jure Saxonico speranda decisio. Variat quæstio, eò concepta modo: *An princeps jure Imperii determinare eam defendendi facultatem possit?* Affirmativæ in præsentis subscribere placet. Permissivos juris naturalis actus determinari à civili potestate posse decisum Moralistarum judiciò. Non præcepta præcisè, nec vetita defensio jure vel naturali vel divinò positivò. Nostros JCtos vocabulo permissionis usos semper probatum superius. Determinatio igitur defensionis quin Principi in societate civili relicta, non dubitaverim. Potest igitur Princeps pro ratione temporum aut ingenio populi definire facultatem jure singulis permissam. Potest etiam nobilioribus ea permitti & infimæ sortis homines ob affectuum præcocitatem per indirectum interdictionem concernere. Totalem interim defensionis interdictionem principi assignare non ausim. Neque hanc, neque illam publica salus semper admissura. Cavendum enim, nè per verforum hominum malitia ad faciliorem scelerum perpetrationem eà ratione irritaretur.

X. Cæterum supposita latiore desiderant explicationem. Nititur privati belli justitia non quacunque, sed necessaria tantum defensione. Coarctata necessitas illa intra certos terminos, quos excessisse nefas judicatur. Labet eam latioribus circumscribere limitibus. Absolvit tamen eos causa efficiens, objectum & forma. A primâ ut ordiamur, defensionem omnibus post habitâ quacunque qualitate censuerim permissam. Actibus juris naturalis permissivis annumeravi superius defensionem. Sed actus istiusmodi determinari à Principe exteriori quadam ratione moto posse exemplorum probat inductio. In casibus itaque non determinatis standum generalitati defensionis jure naturali permissa. Utitur Florentinus in l. 3. *π de f. & f.* particula *Quisque*. Tributa autem huic voci Sophorum æquè ac JCto-



JCorum in l. 29. *π' de hered. instit.* vis universalis nullum de præ-  
 dicato excludens subiectum. Sed perdit eam ἐνέγειαν innatam,  
 vel unico exemplo repertò de prædicati non participante natu-  
 rà. Non unum, sed quamplurima impræsentiarum annotanda.  
 Superius subditis jus resistendi potestati civili haud competere  
 probatum. Sed quod ibi de universis dictum, id ad singulos in  
 certò vitæ discrimine constitutos jam applicandum. *Trentlerius*  
*& Bachovius ad Trentl. vol. 2. disp. 32. th. 6. lit. F.* nimis belli privati  
 licentiæ indulgere videntur. At juris divini paginas replicaturo  
 negotium facillè continget. David certè neminem infontem  
 mansurum, qui manus Regi inferret, dixit apertè. Pænituisset eum  
 confestim, quod vestem Saulis violasset, ipsa hujus sanctitudo  
 effecit. Neque juri naturæ nostram contrariari dixerim senten-  
 tiam. Non excludit illud in actibus præcipuè permissivis varian-  
 tes circumstantiarum qualitates. Earum intuitu etiam præce-  
 ptum juris naturalis à civili potestate determinari posse asserunt  
 plerique. Exigentibus id principiis politicis omni recta Reipubl.  
 familiaribus. Neque enim jus civile tantum, sed & naturale  
 quandam admittit æquitatem, daturque jus justo melius, teste  
*Philosopho 5. Eth. 14.* Nec subsistit illud in actibus, qui ad justitiam  
 ἐπινοεῖται respiciunt, sed omnium aliarum virtutum in se  
 continet actus. Respicit id actus non modò honestos, sed & de-  
 bitos. Quilibet sui causâ Rempubl. salvam existere optat: At  
 non sui tantum, sed & aliorum, ut corporis universi. Et caritas  
 ipsa non tam monere quàm imperare videtur, unius bono mul-  
 torum præferendam salutem. Satius enim, unum malò affici,  
 quàm omnes publicò. Neutiquam igitur Principi offendenti pri-  
 vatum ab hoc resistendum dixerim. Munienda certè peculiari  
 ratione securitas summò fungentis imperio. Quò majoribus e-  
 nim ea exposita odiis, eò pluribus firmanda salutis remediis.  
 Nec attendendâ nonnullorum duxerim instantiam: Principem  
 innocentem insultantem privati suscipere personam. Sed illi eò  
 absurditatis haud fuissent delapsi, si imperia delinquendo haud  
 amitti ponderassent probè. Nec hîc placeret distinctio inter  
 subditos merè tales, & qui in partem curarum advocati. Hi e-  
 nim omnem suam potestatem à potestate summâ tanquam ra-  
 dice



radice suæ dignitatis acceperunt. Unde ipsi tanquam missi à principe quicquid contra voluntatem summi imperantis agant, pro actu habendum privato. V. *Grot. de J. B. & P. lib. 1. c. 4. n. 6. & Magnif. Dn. Zieglerum de Regicidio Exercit. 7.* De cæterò, an ea præ eminentia reliquis Magistratibus asserenda, præstat filere, quàm quædam minus commodè adducere. Certè vitiosa à summa potestate ad Magistratus ducitur argumentatio. Nec eadem instrumento, quæ principali tribuenda sanctitas &c.

XI. Sed de potestate civili hætenus; De parentibus nec levior surgit quæstio. Tempus, quò nondum ceperunt Respubl. si inspexerim res clara satis. Competebat enim Patrifam. in liberos jus vitæ & necis, quò de capite & bonis filii cognoscere valebat. Unde ea, quæ de Principe dicta, meritò & de Patrefam. eò tempore considerato dicenda. Sed verò Rebuspubl. ceptis Principi omnes potestates eminentiori quodam modò adhærent. Etsi non negaverim, etiam post constitutas Respubl. illud jus patriæ potestatis quam plurimas retinuisse Gentes. In Respubl. Romanâ Ciceronis adhuc ætate Q. Fabius capitale supplicium de filio sumsit. Ulpiani autem & Pauli Jctorum temporibus patria potestas oblivione quasi sepulta jacebat. Consulendi hic textus in *l. 2. π ad L. Cornel. d. sicar. & l. 11. π de lib. & posthum.* Floruit uterque Jctus Alexandri Severi ætate. Variis tandem Imperatorum rescriptis detractum penitus parenti jus vitæ & necis; modicâ tantum castigatione ipsi derelictâ. Est & hæc à civili potestate certis quasi cancellis circumscripta; atrociori quodam delicto à filio commisso ad judicem deferendo *l. 3. C. d. patr. potest. l. 1. C. de emendat. propinqu.* Unde fortè illud Hadriani in *l. 5. π de L. Pompei. de parricid.* patriam potestatem in pietate, non atrocitate consistere debere. Fateor, & ante Rerumpubl. primordia ex quâcunque causa interficiendi filium patrifam. haud concessam facultatem. Sed & eò tempore atrociora panæ atrocitas supponebat crimina. Nè verò in pristinis pristina revivisceret potestas possessoribus, constrictum nimis à civili potestate paternum jus. Sed quò magis id coarctatum, eò gravior exsurgit quæstio: Parentibus modum castigandi præscriptum excedentibus an resistere possint liberi? Laborandum primò ab his, ut paren-



parentum iram pœnitentia & vitæ melioris promissione mitigare possent. Hôc recusatò remedio patris icus omni avertere tenentur modò. Sed mens nondum exsatiata. Quid enim, si filius in id adductus à patre invadente vi præsentis discrimen, ut unius vita alterius produceret mortem? In maxima *Bodinus negans lib. 1. de Republ. c. 4.* argumentum ponit impietate, parricidalis filium accusans criminis. Et *Platonis insuper lib. 9. d. LL.* hîc ad partes vocanda esset auctoritas. Procedit hæc sententia in forò fortè interiori. Nondum enim tyrannicâ patris invasione ruptum arctissimum inter patrem & filium necessitudinis vinculum. Neq; honor patris in verbo & opere, sed & in patientiâ consistere videtur. Hîc instar omnium citasse sufficiat celeberrimum Theologum *Baldwin. cas. consc. lib. 4. cap. 1. cas. 14.* Sed in foro exteriori an non filium circumstantiarum excuset æquitas, ambigo. Impunis certè filius non modo, sed & præmio afficiendus patrem proditorem patriæ occidens *l. 35. π de Religios. et sunt. fun.* Sed manum de tabula. Mitio rem fortè sententiam dixerint nimii reverentiæ paternæ æstimatores patri filium ex necessitate defensionis obruncanti. Ad præceptorem jam stylus vertendus. Parentes filiis vitam naturalem, præceptores moralem Philosophi cujusdam judicio dant. Comparatio patris & præceptoris non infrequens occurrit. Potestatis tamen hic gradualis subest diversitas. Levem duntaxat castigationem docenti concedit *Ulpianus in l. 5. π ad L. Aquil.* nimia ejus sævitiâ culpæ assignatâ *l. 6. π d. t.* Egre dienti igitur modum castigationis præceptori resistere omninò poterunt discipuli. Et quamvis occisio illius secuta defensionis necessitatem, discipuli excusandi meritò. Vulneratio si interdicta præceptori ab *Ulpiano*, multò magis violenta invasio, quæ, nisi repulsa fuisset, mortis secum duxisset acerbiter. Nec dolosò destitutum dixerim animò præceptorem, gnarum optimè, modicam tantum castigationem sibi concessam.

XII. Nec alia de marito uxorem violentiâ nocivâ aggre diente exspectanda decisio. Gaudebat maritus ante *Respubl.* ceptas jure vitæ ac necis in uxorem, exercendò ob atrocius crimen commissum. Sed hominibus experimento infirmitatis fa-

C

milia-



miliarum sequegum adversus violentiam in civilem adductis so-  
cietatem & eam ad se traxit rigidiorē potestatem Majestas,  
Exceptis populis, qui etiam post constitutas Respubl. peculiari-  
ter eam retinuerunt, teste *Bodino de Republ. lib. 1. c. 3.* In Republ.  
certè Romanā moderata tantum castigatione maritale imperi-  
um contentum. Ut enim ad familiarum & Rerumpubl. perti-  
nent salutem honesta uxorum erga maritos obsequia; Sic mari-  
tis hęc potestatis specie in uxorum contumeliam & servitutem  
abuti haud conveniet. Hinc honestissimò humanæ ac divinæ  
domus sociæ nomine uxorem dignatur Gordianus in *l. 4. C. de  
crim. expil. hered.* Meritò igitur istā coercenda uxor castigatione,  
quæ sociæ conveniret, nec servili ea tractanda modò. Unde u-  
xor, si verberibus, quæ aliena ingenuis, à marito se affectam pro-  
baverit, repudii olim secura erat auxilio *l. 8. §. 2. in fin. C. de repud.*  
Nullam sanctiorem eā lege putat *Bodinus de Republ. lib. 1. c. 3.* sive  
ad foeminarum superbiam, sive ad maritorum iracundiam coer-  
cendam. Progreditur latius. Nè quidem repudii causas libel-  
lo inferendas, aut judici probandas putat, Romanorum vete-  
rum exemplo adductus. Sed verò indissolubile conjugii vincu-  
lum diversum longè exoptulare ponderavit æquè sacratissimus  
Justinianus in *Nov. 117.* Repudiorum frequentiam inde subor-  
tam civili societati noxiam, judicans. Coarctavit ideò abundè  
affectatas repudiorum causas, certas tantum relinquens super-  
stites. Sed illarum haud inserta numero castigatio mariti mode-  
rata, quæ olim sufficiens. *Bodinus d. l.* Debitam potius reveren-  
tiam marito detrectantem uxorem debita sequitur castigatio.  
*arg. l. 14. in fin. π solut. matr.* At illa castigatio modum exceden-  
te marito debitam uxori non aufert resistantiam. Injustam e-  
nim offensionem justa comitatur perpetuò defensio. Et si vita u-  
xoris non nisi mariticidio vindicanda, ea impunis absolvenda.  
Terminos verò non egredienti injustè resistit uxor. Est præce-  
ptum juris: Qui jure suo utitur, nemini facit injuriam. Sed satis  
de maritali potestate.

XIII. De Mediatore paucissima adhuc subicere placet.  
Quis eò nomine veniat in agrico positum. Solet non rarò bonā  
in-



intentione tertius inter aggressorem & defensorem se interponere. Quæ interpositio eum præcipuè intendit finem, ut gravior vulneratio aut cædis evitaretur perpetratio. Sed eventus quandoque intentioni respondet infeliciter fatis. Neque enim nocendi, sed cavendi animò, ne in gravius alteruter præcipiter periculum, interponentis suscepit officium. Sed cavendum summo perè, ne dolosè Mediatoris prætextu quis alterutri damnum intulerit. *Boer decis. 83. n. 3. Sed quid si tertius defensori sit obstaculo, quò minus contra aggressorem se tueri possit; quo lacesitus mediatorem occidat? Grotio de J. B. & P. lib. 2. c. 1. n. 4.* interpositos ut innocentes obtruncari haud posse visum. Sed Grotiana fortè sententia obvocem adjectam *innocentes* mihi non erit contraria. Impunem igitur dixerim defensorem, dummodo in extremo vitæ periculo constitutum, & terminos defensionis probè observantem. Nihil enim interest, occidat quis, an causam mortis præbeat *l. 15. π. ad L. Corn. de sicar.* Mediatoris ideò occisio nisi præcesserit, defensor eam certò habuisset metuendam. Defensionis inde necessitas nullum hîc passa personarum discrimen: Sola vis proximè inferendæ propulsatio occidenti præstat excusationem. Defectus verò inevitabilis necessitatis defensorem excusatione deficere efficit. *Magnif. Dn. Carpzov. p. 4. const. 6. def. 3.* Et quamvis se mediatorem occidere noluisse proponat; eò tamen haud securus erit colore. Error enim in objecto excusare nequit, præsentem errorem in proposito; quod homicidium in cujuscunque persona sit illicitum. *Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 32. th. 6. lit. A.* Sola necessitas & stricta terminorum observatio defensionis suscipit patrocinium. Neq; ullam occisori eò casu infligendam pœnam asserit *Magnif. Dn. Carpzov. pr. crim. p. 1. q. 29. n. 54. in verb. vel planè non puniendus est, &c.* At verò vel minimus defensionis excessus pœnæ extraordinariæ interfectorem subjicit.

XIV. De cætero recurrendum ad generalitatem defensionis nostræ: nec ullam in considerationem trahendam ulterius dixerim qualitatem. Sed an furoris & ebrietatis ratio habenda hæsitare quis posset. *Aggressori furioso vel ebrio an justè resistere posset quisquam?* Omnis defensio injustam supponit offensionem. Ast hæc de personis nullam inferentibus injuriam prædicari



ri vix posset. Omnis enim injuria dolum habet prædecessorem. Sed hic prærefin & constantem memoriam. Harum autem defectus in recensitis personis & priorum videtur generare defectum. Verùm ex alio fonte haurienda hujus dubii decisio. Non tam persona invadens, quàm invasa hinc consideranda. Etsi injuria in furioso vel ebrio cesset aliquando; solam tamen violentiæ illationem sequitur propulsatio. Generalis est canon: Ubi vis injustè inferitur, ibi ea justè repellitur. Nec pro ebrio ulla excusatio producenda. Furore agitated condolentiâ quadantenus dignus, sed ebrius nullum prætere habet colorem. Ebrietas certè inter *excusa* haud referenda; potuit quippe & debuit aggressor ebrietatem evitare. Et aliàs quò majori quis expositus periculo, eò citiori ipsi opus est propulsatione. Ebrios autem irâ commotos ferventiori in alium ferri solere impetu quis ignorat? Eò citius igitur hic ad sui vocatur defensionem, ne ebrio parcendo propriam negligat salutem. *Sed quid si aggressoris intentio non sit me occidendi, deceptus errore personæ, existimans fortè, me alium esse quàm sem?* Impunè non tantùm, sed & justè eum à me occidi dixerim, aliò periculum effugiendi remediò destitutò. Neque enim jus defensionis, quò nititur privatæ illius dimicationis justitia, primariò ex periculo inferentis, sed ex concessione omnium jurium dimetiendum, *Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 1. n. 3.* Firmisimum nostræ sententiæ argumentum ex *l. 18. § 3. n. de injur. desumerim.*

XV. Personæ privatam dimicationem jussu necessitatis inire valentes cognitæ satis. Objectum jam ponderandum, circa quid versetur nostri belli privati justitia. Superius uberrimè probatum, personam insultatam cum insultante jure dimicare posse. Ut verò omnem Lectori scrupulum eximerem, quædam notatu dignissima hinc subjicienda. Alios in mortis periculo constitutos si cernamus, an obligemur eos quocunque modo ab insultantis manu redimere, gravis est quæstio. Sed formandus prius controversiæ status. Diversas hinc confandi à Doctoribus percipio quæstiones: Aliam dixerim ita conceptam: *An teneamur ab aliis vim illatam depellere?* Aliam itidem: *An illius rei gratia aggressorem occidere fas sit?* Priorem affirmandam, posteriorem negan-



negandam censuerim. Subtilius nonnulli progrediuntur, maximam necessitudinis connexionem quosdam obligare ad occisionem alterutrius adversarii putantes. Paternum præcipue affectum tantam pro liberando filio imponere patri necessitatem. Sed & translativam juris fictionem vocant ad partes. Haberi patrem & filium pro una persona, rescripto Justiniani in *l. ult. C. de impub. & al. subst.* Ducunt insuper argumentum à morte civili ad naturalem. Patris filium ex servitute vindicandi potestatem ex *l. 3. π. de liberal. causa*, & redimendi eum ex morte aggressoris indicare licentiam. Apertissimò tandem in *l. 1. §. 4. π. ad L. Corn. de sicar.* textu se nixos gloriantur non pauci. Ad correlatorum quoque confugiunt naturam, de patre quæ probasse sibi videntur, & de filio fore dicenda. Sed & ad maritum & uxorem sumæ affectionis intuitu dicta extendunt. Consanguineos quoque & affines ad eandem liberationis legem obstrictos asserunt quidam. Sed nolim privati belli justitiam hisce præsuppositis terminis ad tertium prorogare. Dubitaverim quam maximè, tertio terminos defensionis observare an possibile fuerit. Præcipue quòd ipse nullatenus sit offensus, & offensus tantum sequelam habeat defensionem cum occisione alterius conjunctam. Invaso contingit negotium difficile satis, ne defensionis transgrediatur limites. Ira ut plurimum & odium disconveniens quarit consortium. Ulciscendi itaque magis, quàm defendendi animo tertium aggressorem alterius occidisse videri dicendum. Juris nostri inspecturo loca belli privati adstruentia licentiam, hæc facile arridebit sententia. Sunt ea numero quamplurima; sed quotquot sint, defensionis propriæ & suæ, non alterius faciunt mentionem. Unde particulam *suum* in Clem. unic. de homicidio usurpatam notandam monet Glossa ibidem.

XVI. Verùm dissentientium satisfaciendum fundamentis: parèe tamen. Non ardentioris affectu paterno reperiri amorem, confiteor ingenuè. At non in affectione, sed in necessaria nostræ vitæ defensione quærenda belli nostri justitiæ causa. Aliàs probata non probant, quod probare debent, nisi ad primam relata questionem. Neque fictio in re tam ardua locum occupatura. Fictio juris & justitiæ conservandæ causâ in causis ci-



vilibus inducta. At hinc criminale vertitur negotium. Fictio obtinet, ubi rei veritas non est obstaculo. Hic verò contrarium legibus nostris convenire probatum superius. A morte civili ad naturalem absurdè nectitur argumentatio. Parenti jus vindicandi liberos ex servitutis tyrannide jure tributum. Ex morte verò naturali cum occisione alterius nondum probatum. Nec impedimento est Hadriani sententia superius citata. De diverso loquitur casu: Unde & diversa profluxit decisio. Quod ex singulari receptum ratione, ad consequentias haud trahendum. Fortè fundamentum decisionis in eo situm, quod violatio ad totam redundet familiam. De patre quæ hætenus dicta, & in filio locum occupatura. Correlatorum id exposcit natura, ut, quod in uno procedit, in altero quoque valiturum. Et quod de altero negatur, & de altero veniat negandum; Nisi diversitatis adsit ratio diversum suatura. Nec affectioni maritali tantum concedendum. Operatur ea civilem defensionem, sed ad alterius haud extendenda occisionem. Cognatorum tandem & affinium conjunctio multò minus eò gaudebit effectu, quem arctiori consociatis necessitudine denegavimus hætenus. Evicisse dicta putaverim abundè, affectum occidendi haud largiri impunitatem. Confiteor interim, ab ordinaria interfectorem eò casu immunem esse pœnâ. Judicis tamen arbitrium & circumstantiarum discrimen ad partes vocandum. Sed dicta de juris tantum acceptari velim theoriâ. Quoad praxin fortè & quotidianam observantiam aliud foret dicendum.

XVII. Caterùm de extraneis quid asserendum, levioris videtur momenti negotium. Non tamen desunt, affirmativam adstruentes sententiam: extraneum pro liberatione alterius ex mortis periculo tertium occidere posse. Subtilissimus inter alios *Bachovius ad Treutl. vol. 2. disp. 32. th. 6. lit. 7.* illi subscribit. Sed vereor, an in nostro ea fundata sit jure. Sola belli nostri justitia ex defensionis dimetienda natura. Ast defensio ex jurium concedentium oritur conspiratione. Sed de extraneis personis omnia silent loca, nostræ faventia defensionis. Est negotium hoc arduum omninò: Ideò sine aperto juris textu haud concedendum. Nec ulli defensionis tributa potestas, nisi in mortis periculo constituto.



tuto. Sed tertius nec aggressorem habet, nec vitæ ipsius imminet periculum. At verò & hîc quæstionum supra præmissarum repetendum discrimen. Concesserim, obligari quemvis vi cognationis à natura inter homines constitutæ ad alterius ex periculo liberationem. Præcipuè, si citra propriæ vitæ jacturam eam perficere quis posset. Retinet huc illud *Pauli in l. 2. §. 5. π. de aqu. & aqu. plu. arc.* quod mihi non nocet, & alteri prodest, id alteri præstare teneor. Sed si alterius redemptio sine præsentis vitæ meæ detrimento haud speranda, non teneri me præsentissimo obviam ire periculo dixerim. Neque enim vicini salus propriæ præferenda: quod ordinata charitas à seipsa ordiatur. Verùm diversa ea est quæstio: *An quis ob defensionem alterius tertium aggressorem occidere justè & impunè possit?* Et hanc ita conceptam negandam censuerim. Tenetur quivis in periculo constituto omni succurrere ope, ne gravius vulneretur vel occidatur, præcavendo. Hinc conjunctis cum defensore viribus aggressoris ictus avertendi aut, ut hic recedat, summè laborandum. Ast cædes aggressoris ab alio, quàm defensore facta nullibi concessa. Et secus certè cavendum, ne homicidiis frequentioribus detur occasio. Nec famosa Bachovii subtilitas mihi aliud persuasura. *Ubi, inquit, alterū perire necesse est, justius est, ut pereat violentus invasor.* Non videtur quadrare illa ratio ad quæstionem propositam. Non disquirimus, quemnam perire justius sit, invasorem, an defensorem. Aliò proposita est controversia modò: *An tertius impunè & justè aggressorem occidere possit?* Et hæc est, quam negavi superius, quod ob nostram tantum & non alterius defensionem invasoris interfecionem concedant jura nostra. De cætero Bachovium accuratissimè procedentem nostræ sententiæ deprehendo asseclam. Superius scilicet distinctas à nobis quæstiones & ipse discernit subtilissimè. Nullam etiam pœnam in deserentem hominem in periculo existentem constitutam jure civili cum Bachovio asseruerim. Licet *Harprecht, Gomez, Vasquius, Zoanettus, Covarruvias* & alii extraordinariam pœnam ipsi infligendam censeant, si sine propriæ vitæ jactura alterum liberare possit. Succurrentem tamen periclitanti, & à latronum vel hostium manu liberantem eò nomine justè aliquid stipulari & accipere author est *Ulpianus*



nus in l. 9. §. 1. π. quod met: causa. At verò aliud fortè novissimè à Carolo V. in ordinat. crimin. art. 150. vers. So einer zur Rettung re. fancitum. Excusari interim occisorem à pœna homicidii ordinariâ antè nunquam negavi. At nobis de tali defensione, quæ immunem planè à pœna reddit occisorem, in præsentī sermo. Nec aliud fortè Caroli V. intentio exposcit. Quod & Gailio lib. 2. obs. 110. n. 19. Adeò autem, inquit, defensio favorabilis est, ut etiam tertius, put a amicus provocati, si intercedendo aggressorem occidat, excusetur à pœna ordinaria. Sed de his latius Criminalistæ.

XVIII. Mihi ad rerum nostrarum contra raptores aut fures properandum tuitionem. Non uniformem Doctorum hîc deprehendo sententiam. Aliis simpliciter concedentibus etiam obrerum defensionem licitam esse auferentis occisionem. Aliis distinctione negotium conciliantibus: an via juris res nostræ recuperari possint, nec nè. Priori casu injustam iniri dimicationem, quæ mortem adversarii habeat comitem. Posteriori verò, quod cesset omnis suum recipiendi spes extrema esse tentanda. Verùm in hâc sententiarum diversitate formandus prius controversiæ status. Confundere nonnullos percipio distinctissimas illas quæstiones: An justa sit rerum defensio, ut quò minus quis eas auferat, præcavere, aut eum propellere possimus? Et an pro rerum nostrarum conservatione invasorem occidere queamus justè ac impunè? Priorem nunquam in dubium vocaverim. Reputantur quippe bona secundus hominis sanguis. Neque enim vivere homo sine sanguine, nec vitam sine bonis sustentare potest. Unde Imperatoris judicio pecuniæ appellatione omnia continentur l. pen. §. 1. C. de constit. pecun. Quis itaque bona sua tueri & conservare detrectaturus? Vel divini præcepti vigore interdicta bonorum ablatio. Concessa ideò ex diverso eorum defensio reputanda. Sed diversa posteriori assignanda decisio. Nullus itaque putaverim, ob solam rerum defensionem ad homicidium justè quemquam proflire. Grotii certè de J. B. & P. lib. 2. c. 1. n. 11. non negat raptorem ad res conservandas interfici posse. Verum plus justo duriorem dixerim non immeritò eam sententiam. Accurata sanè offensionis & defensionis proportio eam haud admittura. Bona hominis etiam pretiosissima cum vitâ humanâ  
in



in collationem planè non deducenda. Homo ad imaginem Dei creatus, & sanguine Christi redemptus. Bona verò caduca & in usum hominum comparata. Propter quod autem unumquodque est tale, illud magis est tale. Vita hominis semel amissa nullo recuperabilis modo. Bona amissa indefessus restituit labor. Ut vita propria præferenda vitæ proximi; Sic vita proximi anteponenda bonis propriis. Exigit dilectio proximi, ut ad subveniendum periculo alterius vitæ propriis haud parcamus rebus. Iniqua igitur dicenda sententia, qua bonorum caducitatem vitæ præponendam pretiositati asseveratur. Neque verò concesserim Grotio d. l. inæqualitatem, quæ inter rem & vitam, innocentis favore & raptoris odio compensari. Tanti enim innocentis favorem non aestimaverim, ut homicidii commissi eum efficere statuerem impunitatem. Et raptoris odium debito deinceps repensandum supplicio. *Quid igitur si furem cum re fugientem videam?* Grotius affirmat, si res surrepta recuperari nequeat, jaculo prosterni posse. Profectò nimis durum id, non dicam impium, ob rem non rarò vilissimam quendam occidi posse. Non est pandenda via homicidiorum frequentia abunde grassanti. *Sed suspendii sic in dubium vocare viderer pœnam, quæ furibus ex constitutione Carolina dictata?* Verum jus privati adducens in summæ potestatis sacraria iniquè irruit. A jure privati ad Majestatis prærogativas inepta ducitur argumentatio. Sola enim vitæ defendendæ necessitas facit, ut processus contra delicta auctoritati publicæ ordinariè competens etiam privatis communicari possit. Neutiquam autem publicæ quod competit potestati, & privato statim assignare conveniet. Nec vindicta & ultio publica cum privata contundenda defensione. Ast Imperatori in l. i. C. unde vi nostram contradicere sententiam opinantur nonnulli. Reponerem illis, defensionem quidem permitte ab Imperatore, at non occisionem. Simplicem supra Domino rei competere asserui defensionem: non autem cum cade alterius conjunctam. Et in casu d. l. i. res eò pervenisse videtur, ut ex invasore bonorum aggressor corporis sit factus: armis scilicet me jure licito bona mea defendentem invadendo. Nec aliam explicationem verba *vim illatam propulsare licet*, admissura.



ra. Præcedentia quoque *cum moderamine inculpatæ tutelæ* aliàs minus congruè essent posita.

XIX. Sed ingens negotium facescit furis nocturni permilla occisio. Jura divina morti haud obnoxium judicant interfectorem furis nocturni, *Exod. 22. v. 2.* Ex lege quoque Solonis veteri, cujus mentionem facit *Themostenes in orat. advers. Timocrat.* impunè nocturnus occidebatur fur. Retulerunt tandem eam ab Atheniensibus acceptam Romani in LL. 12. Tabul. Distinguit hæc aperte furem nocturnam à diurno. Verba hic adscribere placet: *Furem, qui manifesto furto deprehensus erit, si furum aut noctu faciat, aut interdum, cum prebenderetur, si telo defendat, occidito.* At verba legis quidem aperta, sed ratio ejus obscura & dubia. Alii discrimen in eò quaritant, quod à fure nocturno, quia ignotus est, res subtractæ non nisi cum internecone ipsius recuperari possint. Alii rationem differentia in eò positam putant, quod noctu discerni non possit, an ad furandum, an verò ad occidendum venerit. At verò Legum conditores neutrum horum propriè spectasse rectè suspicatur. Grotius suam quasi emendans sententiam *n. 12.* Hoc potius intentio illorum exegisse videtur, directò rerum causa neminem interfici debere. Fieret id dubio procul, si fugientem telo mihi prosterne re liceret: Datâ sic illò occisò rem meam recipiendi occasione. Accuratius discrimen furis nocturni & diurni cum Grotio in eò quæssiverim: vel quod omnia noctu facta sint terribiliora: vel quod noctu vix sit copia testium adhibendorum. Reperto igitur fure interfecto militat præsumptio pro occidente, eum vitæ suæ tuendæ causa furem cum instrumento nocivo repertum interemisse. Subministrat illam explicationem exceptio in fure diurno adjecta: *nisi telo se defenderit.* Quod igitur probatio demum in furem diurnum occidente efficit, id præsumptio in furem nocturnum interficiente operatur. Subscribit huic interpretationi *Cujacius 14. obs. 11.* & cum eò *Bachovius ad Treutl. vol. 2. disp. 30. th. 2. lit. B.* Sed hætenus de sententia Legis 12. Tabul. Duo deinceps à Jctis & diversa ad furis nocturni occisionem adhuc sunt requisita. *Ulpianus in l. 9. π ad L. Cornel. de sicar. inquit*



quit: *Furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impunè fieri, si parcere ei sine periculo suo non potuit.* Cajus in l. 4. §. 1.  $\pi$  ad L. Aquil. requirit testificationem cum clamore. Provocat posterior ad Legem 12. Tabul. Sed magnum in eâ de hoc requisito silentium. Simpliciter eam conceptam verba ejus perlegenti constabit. Unde *Seneca lib. 10. controv. 6. Gell. 11. noct. Attic. 18. & Cicero pro Milone* furem nocturnum *quoquomodo*, ita: *omnimodo impunè interfici posse testantur.* Tribonianismum igitur hic commissum opinatur *Bachov. d. l. & Jacob. Gothofred. ad L. 12. Tab.*

XX. Aliàs sententia Jctorum nostræ non videtur adversari explicationi. Præsumtionem pro occidente militare eum parcere sine periculo furi nocturno non potuisse. *Sed quid si testibus forte occidens convinci possit eum in vita periculum haud fuisse adductum?* Cessat sic præsumptio, & is meritò puniendus. Et eam fuisse mentem Ulpiani conjecturare liceat. Cajus verò tam in fure nocturno quam diurnò clamorem exigens terminos supponit habiles. Si fortassis quis speret se clamore illo concursum vel Magistratus, vel vicinorum ad auxilium aut testimonium excitaturum. Sed quamvis occidens id non fecerit, præsumitur tamen, eum in mortis periculo constitutum id fecisse. Et excusatione is eò casu meritò dignus judicandus. *Quid enim si aliquis in loco ab hominibus remotiori habitet ut exclamatione suâ vel auxilium nullum, vel nimis serum sperare haberet?* De cætero omnia hætenus dicta eò redeunt, ut neminem furem nocturnum, nisi in vitæ periculo constitutum occidere posse, ostenderent. Concedenda hæc argumentatio à majori ad minus. Si in furem nocturnum occidente requiritur periculum corporis, quantò minus ad furis diurni occisionem rerum sufficet periculum. Unde expresissima in lege 12. Tabul. adjecta verba: *Si telo se defende- rit.* Quid autem teli appellatione ibidem intelligatur, ipse explicat Jctus in l. 54. §. 2.  $\pi$  de furt. Censetur enim non furandi tantum, sed & occidendi animò præditus. Ut ita non tanquam fur simplex aut raptor rerum, sed ut invasor vitæ à privato occidatur. Unde mihi res meas à fure repetenti si restiterit raptor periculum vitæ illaturus, jure eum occidere possum. Ita quippe



defensio rerum cum personæ conjuncta est tutela. Concedo & armatam defensionem contra raptorem, arg. l. 3. §. 9. π de vi & vi armat. Ejusdem tamen occisionem nō resistente eō, haud assero. Licita perhibetur in cap. 2. X. de homicid. occisio aggressoris ab eō facta, qui se & sua defendit: Non disjunctivè, sed copulativè verba sunt concepta. Quocirca ea illicita reputanda, quā tantum sua defendens hominem occidetit quis. Sed dicta hactenus sacris contrariari videntur literis secundum Grotium superius citatō loco n. 13. Verum cum hoc ad Theologorum pertineat cathedram, præstat ea hic præterire.

XXI. Progrediendum jam in objecti consideratione. Famam non minimam felicitatis partem judicat Philosophus 1. Eth. c. 10. Crudelis reputatur Augustini judicio famam susque deque habens c. 56. XI. q. 3. c. 10. XII. q. 1. Viris bonis infamiæ metus major certè quàm mortis habitus l. 8. §. 2. π quod met. causa. Fama ac vita communi quasi Doctorum consensu pari ambulare dicuntur passu. Quò trahunt insuper l. 9. π d. manumiss. vind. Hæc itaque sunt, quæ gravissimum inter Doctores excitavere litigium. *An convitiis lacesitus ob honoris sui defensionem justè & impunè cum injuriante dimicare, eumque eo nomine occidere possit?* Sunt, qui hisce seducti affirmativam defensitare audent. Sed miratus sum non unâ vice, viros doctos eam sibi imponi passos opinionem. Ast ortus is error ex præconcepto rudis vulgi errore. Habet persuasum incondita plebs, auferri per convitium famam & existimationem. Verum intrinseca & principalis infamiæ causa hic prænotanda. Illa in genere reputatur factum turpe. Et in infamiâ juris inferendâ concurrat cum turpi facto legis seu juris opera. Et hanc vel immediatè largitur jus per verba Legis, Scti, Plebisciti, decreti Principis: vel mediatè per sententiam judicis. Privato igitur tantum haud concedendum, ut is pro lubitu alterius auferre possit famam. Neutiquam enim mea existimatio ex alterius dimetienda arbitrio. In tam lubrico enim & ancipiti haud locandus honor. Quocirca cum revera honor per injuriam factam mihi auferri nequeat, irrationabile esset, si retinendæ ejus gratiâ hominem occidere possem. Sed

con-



condonandum quandoque aliquid superstitiosis plebis opinionibus. Tanti tamen eæ haud æstimandæ, ut propterea homicidium eò nomine commissum justificari aut impunè committi possit. Injusta certè restitutionis causa in *l. 7. pr. π. quod met. causa* perhibetur infamiæ timor. Quantò minus igitur pro justa nobilissimam Dei creaturam occidendi is reputandus causâ. Belli privati justitiam ex defensionis dimanare justitia dictum superius. Sed defensio necessitatis nititur privilegiò. At necessitas omnia alia propriæ salutis medendi excludit remedia. Aliter se tueri non valenti vis illatæ propulsio tantùm conceditur à JCo in *l. 45. §. 4. ꝛ ad L. Aquil.* Ubi enim alia defensio ad manus, ibi violenta cum occisione alterius conjuncta haud excusabilis. Magis quippe ulciscendi quàm defendendi animo affectus censetur. Verum hic quam plurima legitima jure prodita remedia, quibus famæ nostræ consulere queamus. Adsunt judicia civilia æquè ac criminalia, quibus injuriantis libidinem coercere, eumque ad abstergendam à nobis adpersam contumeliam cogere possumus. Adsunt duo decantatissima moribus inducta remedia contra injuriantes: retorsio & palinodia. Illa injuriam à se repellit, & in alterum rejicit. Hæc ineptæ vulgi consulit opinioni. Honor rei veritate non ablati nec læsus per injuriam. Æstimationi viri alicujus per laudationes & encomia nil accedit. Parili ratione nec detrahi quicquam poterit verbis injuriosis honesti cujusdam Viri honoris. Et actio ad palinodiam tendit magis ad declarationem famæ illæ sæ, quam redintegrationem offensæ. Cogitur quippe injurians publicè seipsum mendacii arguere, & omnia, quæ dixerat, falsa confiteri. Fertur quandoque sententia declaratoria, nihil novi ponens, sed id quod juris est, saltem declarans. Ita famæ restitutio, quam intendit agens ad recantationem, negativè magis quàm positivè sese habere videtur. Hæc itaque saluberrima satis remedia cujusque tuentur satis existimationem. Occidens ideò famæ intuitu injuriantem de necessariæ defensionis sibi neutiquam gratulari



habebit privilegio. Ordinaria enim ubi adsunt remedia, extraordinariis & ex speciali ratione concessis locus denegandus. In leges itaque & Magistratus nimis injurii censendi, eos adire minus honorificum sibi putantes. Certissima eos manebit pena, quibus privata vindicta gratior unquam visa. Neque barbaram dissentientium sententiam legibus unquam conformem censuerim. Famam defendit abundè, jure proditis qui utitur remediis.

XXII. Neutiquam igitur Augustini mihi obicem ponit sententia. Paulus in *l. 8. §. 2. π quod met. caus.* loquitur de metu non infamiæ, sed facti. Vix enim stuprum violentum minitans infamem efficere poterit, vel de jure, vel de factò. Solum enim solius delinquentis turpe factum lege notatum infamiæ superius dixi causam. Nec violentum passa stuprum eò tantum nomine infamiâ notanda. arg. *l. 13. §. 7. π ad L. Jul. de adult.* Unde infamiæ timorem edictò quod metus causa non contineri ex Pedii sententiâ asserit Ulpianus in *l. 7. pr. π quod met. caus.* Sed & de eodem edictò tractat Paulus in citatò textu. Hisce igitur suppositis terminis applicatio ab adversariis haud expectanda. Et si aliquale illi textui attribuendum robor, de speciali eum conceptum injuria dixerim. Permissam de Jure Romano stupri violenti odio inferentis fuisse occisionem, superius ex *l. 1. §. 4. π ad L. Cornel. de sicar.* demonstratum. Impertinenter planè JCrus in *l. 9. pr. π de manum. vind.* heic allegatur. Vitiosam necent sequelam majorem ex dicto textu structuri. Quodcunque sufficientem servum manumittendi prabet causam, occisionis non statim largietur licentiam. Quamplurimas in *§. 5. Instit. Cuj. & quib. ex caus. manum.* Imperator recenset causas. In uno igitur quæ procedunt juris articulo, ad alium ineptè non sunt detorquenda. Minor servum procuratoris habendi causa manumittere potest. Quantò magis igitur servum, servatâ ejus auxilio Domini famâ vel vitâ, dimittere poterit. Nullibi igitur universalis vitæ & famæ comparatio & ratione, & lege fundata. Illam asserentes committunt fallaciam à dicto  
secun-



secundum quid ad dictum simpliciter. In tertio quodam quæ  
conveniunt, in omnibus non convenire Sophorum tradunt  
regulæ. Diversitatis quoties adfuerit ratio, illa comparatio  
haud processura. Vitam certè semel auferri passurus omni e-  
am recuperandi excluditur spe. Sed fama gravissimis licet  
privati injuriis non auferitur reipsâ; & sauciata paulisper  
vulgi sententia, restitui & reparari potest facilè. Neque mo-  
vent me verba J Cti in l. 3. *de J. & F.* Sequentia enim cum  
præcedentibus conjungenda accuratè. Injuriam per vim  
corpori illatam intelligere J Ctum totum perlegenti textum  
constabit. Sed de coloratâ famæ violatione verbis peraciâ  
dictum hætenus.

XXIII. Potest & factis existimatio nostra graviter  
lædi. Orta inde subtilis non minus ac gravis controversia:  
*An periculum pudicitie intentatum vi repellere liceat?* Cum vitæ  
periculo si illud fuerit conjunctum, eam in dubium nullus  
unquam vocaturus. Neque etiam defensionem per vim e-  
jusdem generis peragendam hîc supposuerim. Nullatenus  
enim violaturi pudicitia hîc in considerationem trahenda.  
In eo potius controversiæ status est positus: *An pro pud-  
icitie defensione vis omnis, sine qua illius servanda spes nulla, sit li-  
cita?* Pudicitie natura affirmativam primâ fronte vix ad-  
mittere videtur. Consistit ea Augustini judicio *lib. 1. de lib. ar-  
bitr. cap. 5.* in animi integritate. Sed bonum animi supra  
omnem vim extrinsecam positum, ut nullâ planè violentiâ  
id eripi possit. Relata illa Augustini sententia in corpus ju-  
ris canonici *can. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & XXII. q. 5.* Nec læsio per  
violentam attentationem pudicitie illata extemporaneæ  
vim inferentis interfectioni videtur proportionata. Sed  
affirmativa nihilominus Grotio *de J. B. & P. lib. 2. cap. 1. n. 7.*  
aliisque communiter Moralistis ac J Ctis arridet. Quicquid  
fit, mereri interficientem veniam, putaverim ego. *Multò enim  
immanius est, inquit Augustinus d. 1. invitum hominem stuprum  
perpeti, quàm eum, à quo vis illa inferitur, ab eo, cui inferre cona-*

1117



*tur, interimi.* Et sua cujusque libertas id exigere videtur. Nil enim quisquam invitus ab altero pati cogitur. Unde si tutus quis à damno irreparabili esse non possit, vim factam vi propulsare ipsi licet omnino. Quis autem pudicitiae laesæ damnum irreparabile esse negare unquam ausurus? Juris Romani si ad partes vocem capita, rem claram inde evasuram existimaverim. Ob tutelam corporis licitam perhibet defensionem Cajus in l. 3. π. de J. & J. Pollui autem corpus virgineum horrendâ ea attentatione in aprico positum. Et apertissimus satis ad manus est textus, in l. 1. §. 4. π. ad L. Corn. de Sicar. Imò stupri inferendi metus bonis viris major, quam vitæ esse debet juxta sententiam Pauli in l. 8. §. 2. π. quod met. causa. In vitæ autem periculo constituto permissam defensionem superius decisum. Utique igitur & fœminæ in pudicitiae amittendæ periculo eadem haud deneganda. Et dissentientes nostræ fortassis essent subscripturi sententiæ, si ambiguitas, quæ hîc subest, prius remota. Pudicitiam, quatenus solum animi habitum denotat, externâ violentiâ non posse lædi facile concesserim. Quamvis difficile omnino sit, fœminam non delectari actu isto, & sic consentire peccato. Sed denotat quoque pudicitia statum simul intacti corporis ab actu illicito. Et eò modò quin lædi ea possit, nullus omnino dubitaverim.

XXIV. Cæterùm occasione prædictorum famosissimam illam subnectere placet controversiam: *An tertio pudicitiae defendendæ intuitu interfectio concessa?* Hæc simpliciter concepta neganda omnino. Ratio decisionis ex superioribus petenda. Sed de marito vel patre quoad uxorem & filiam in adulterio deprehensam nascitur quæstio. Juris civilis hîc primitus inspicienda monumenta. De lege 12. Tabul. adulter in crimine deprehensus à deprehendente occidi potest. Verba ejus subjicienda: *Mæchum in adulterio deprehensum necato.* Lege deinceps Juliâ ab Augusto lata interdicta maritis potestas uxores adulteras occidendi. Nec quoad adulterum illa potestas sine discrimine amplius locum habebat.



be bat. Vilis tantum vel infamis ac in domo mariti cum uxore deprehensus illi occisionis expositus adhuc erat timori *l. 24. π. ad L. Jul. de adult.* Sed patri laxior quaedam potestas eadem lege concessa. Permissum sc. ipsi occidere adulterum quemcunque cum filia etiam in domo mariti deprehensum, dummodo & ipsam simul peremerit filiam, *l. 20. l. 22. §. 2. l. 32. π. d. t.* Ratio fortè diversæ istius permissionis in eo consistebat : quòd in pietate paterni nominis major præsumabatur delicti condonatio : at mariti calori & affectibus facilè savientibus frena à legibus injicienda. Neque tamen quælibet deprehensio illam producebat occidendi licentiam. Supponendum potius perpetuò, ut *ἐν ἑργῷ* secundum Ulpianum in *l. 23. π. d. t.* adulter deprehendatur. Covarruvias *tom. 1. c. 7. §. 7. n. 3.* cum Budæo *ἀρσενά ἐν ἀρσενικῷ ἔχοντα* loquitur. Imò poterant maritum vel patrem in occidendo adulterò impunè adjuvare etiam proprii filii, teste Alexandro in *l. 4. C. d. t.* Jura tandem novissima inspicientes non aliam ferè sunt reperturi decisionem. Permissa & novellarum jure marito adulterum occidendi potestas. Ast si ipse aliquem cum uxore in loco suspecto colloquentem deprehenderit, tribus ex scripto contestationibus debet eum admonere, ut abstineret à suspiciosa illa confabulatione. Posthabitâ autem illâ admonitione negotium cum uxore in loco secreto aut suspecto interficiendi potestas marito concessa. *Nov. 117. c. 15. §. 1. auth. Si quis ei C. ad L. Jul. de adult.*

XXV. Sed ex dictis gravior emergit quæstio : *An occisor talis in foro conscientia sit excusatus ?* Affirmativæ ut subscriberem sententiæ, moveri possem decisâ Doctorum sententia : Leges civiles etiam in conscientia obligare. Unde subditi contra legum præscripta agentes, etsi debitam effugiant pœnam, in conscientia tamen non sunt securi. Quicquid enim in salutem Reip. Magistratus cõstituit, ab ipso Deo proficiscitur. Ordinationem quippe politicam Deus approbando suam facere censetur. At verò, non relaxatum à lege divina ullibi mandatum de non occidendo. Neque etiam

E ulla



4

ulla expostulare videtur necessitas, ut marito adulterantes occidendi permittatur potestas. Sola enim necessitas privatis processum contra delicta concedit. Alias singulis non est concedendum, quod per Magistratum publicè expediri debeat. Tribueret insuper hæc occidendi uxores licentia causam quandoq; calumniandi uxores. *Sed leges civiles ita injustiæ & iniquitatis argueremus?* Ita certè sentit Covarruv. *superius cit. loc. n. 22.* Verùm nolim ego in nostros Legumlatores tam injurius esse. Placet vulgatissima Doctorum distinctio inter leges permittentes & approbantes. Nolo interim diversos legis permittentis hîc pertractare gradus. Dixerim, leges nostras quoad præsentem occisionis licentiam connivendo, dissimulando, tolerando, ejusq; punitionem subtrahendo procedere. Causa sæpè civilis & externa tam efficax est, ut ipsi ratione circumstantiarum cedat interna & naturalis. Adfuere & hîc rationes, Legumlatores quæ commovere, ut ad pœnæ remissionem eas judicaverint justas & sufficientes. Neque officere ea putaverim, quibus Covarruvias, contrariæ quòd calculum addiderit sententiæ, se fatetur adductum. Et illi enim actus legitimorum annumerandi numero, qui permisi à lege positiva, concessa in iis versandi licentia. Concubinatus per legem nomen assumisse dicitur in *l. 3. §. 1. π. de concub.* & licita insuper vocatur consuetudo in *l. 5. C. ad SC. Orft.* Nullâ tamen legis approbatione niti eundem, sed nuda, majoris mali evitandi causâ, tolerantia decisum hætenus in Jctorum scholis. Interim actus directò legitimos cum iis, qui reductivè tales, haud confundendos censuerim. Tantum in præsentî.

SOLI DEO LAUS ET  
GLORIA.





**N**on secus atq; furens nunquam se con-  
tinet ignis,  
Quin fertur rapido summa ad fastigia  
vento,

Attollitque globos flammarum, & sidera  
lambit.

Ignea sic animi vis claudi nescia, nubes

Perforat, & magno molitur ad astra la-  
bore.

Hoc LEDERERE probas, probat hoc tua vi-  
vida virtus,

Quam jam nunc, Themidos ascendens pulpi-  
ta, claræ

Exponis luci, Pergas hoc currere porrò

Tramite, sic tandem te præmia digna ma-  
nebunt.

*Ita vovet*

HENRICUS GREGORII,  
Holsat.

Jus



7135  
Jus m̄ndat brutis naturæ, arcere frementes  
Hostes, hoc multis non sine laude probas.  
Laudo, perge, sequi patrem, tu gloria patris  
Ipse eris, & patriæ flosq; decusq; tuæ.

*Amico & Commensali suo certissimo  
h. a.*

HENNINGUS Jürgens.













ULB Halle  
002 618 818

3




Sb


VDMA











B.I.G.

Farbkarte #13

XXXIII  
1023

1663 M.

8  
13

D. B. V.  
De

# IA BELLI VATI

ATIO PRIMA.

Quam  
FICI JCTORUM ORDINIS  
RESIDE

4 1/2

## DERICO LEDERERO

U. J. L.

licè defendet

## TMANNUS LEDERERUS

bergâ Saxo.

itorio Jctorum.



TEBERGÆ,  
HÆI HENCKELII  
M. DC. LXIII.

*Handwritten signature:*  
L. Henckelii  
L. Henckelii

